

patris, sic: *Pater est filii pater. E. Pater est filii filii Pater.*

In hac ἐρεχελία notetur, quod nomina eorum, quæ ad aliud referuntur, per se & separatim accepta, non simul confignificent id, ad quod referantur. Sicuti Pater seorsim consideratus non aperte filium connotat. Itaque nulla est nugatio, si addatur. ut: *Pater est filii Pater.* Sed quid opus lucernâ Diogenis, ubi Sol meridianus?

CAPUT XVII.

Meta Solæcismi est approbatio vitiosæ orationis vi argumentationis extorta, ut, si quis cogatur admittere hanc locutionem: *O. mulier est sensitivus* propter hoc argumentum:

O homo est sensitivus.

O. mulier est homo.

E. O. mulier est sensitivus.

Solæcismus igitur est contra Grammaticam error, & hinc ex eadem refellendus. ut: *mea Pater: malus mulier: risibilis animal.* Sic Cicero exagitat *Antonium*, quod dixit